



Christerus Rosenbergaë in finibus Bava-
riaë & Bohemiaë natus est, anno 1537. Hic post
prima literarum fundamēta in patria percepta sese
Argentinaam contulit, atq; in classibus aliquandiu
liberalibus studijs & linguis operā dedit. Inde sese
in Italiaam recepit, atq; ibidem per trienniū magna
diligentia Philosophiæ & Mathematico studio in-
cubuit. Itaq; factum ut Hebraë, Græcè, & Latinæ
linguæ magnam notitiam acquisierit, atq; in præ-
clarum Philosophum & Mathematicum insignē
euaferit. Hisce coniungebat & sacrarum literarum
studium, atq; earum lectionem sibi familiarem red-
debat. Is cum ex Italia in Germaniā rediisset, & Sa-
lisburgū peruenisset, statim eius eruditione cognita ad parochiam amœnissi-
mi oppidi inferioris Bavarie Müldorsffii uocatur. Eam uocationē is suscipiens,
magna diligentia suum officium exercet, atq; libris tenaciter inheret. Accedit
& uitæ pietas, & erga omnes mirabilis humanitas. Itaq; cum ad eum locū 1565
uenissem, me antea ex scriptis quibusdam editis sibi notū humanissimè excep-
pit, atq; meum conatū summopere adiuuit. Habebat is secū Heliam Hippen-
bergiū Symmistaam, hominem facundū & Poëtam insignem, qui etiā ex tem-
pore carmen cōposuit, & ut operi meo tertio præmitterem, modestè obtulit.

Cum hisce duobus uarias quaestiones religionis controuersas amicè contu-
li, atq; raram eorum eruditionem intellexi. Deprehendi etiam eos à doctrina
Euangelij haud esse alienos, atq; summopere efflagitare, ut tandem Christia-
nus orbis inuicè reconciliaretur. Cum sequenti die discederem, uterq; per ali-
quot milliaria, ut plura cōferremus, comitatus est. in primis uerò Christo-
phorus, qui meum studiū summopere approbat, tam difficulter à me auelli po-
tuit, ut inuicem ualedicēdo uterq; nostrū lachrymas effuderit, id quod nus-
quam antea contigit. quod si etiam diutius is superstes fuerit, procul dubio e-
ius nomē inter doctos erit celeberrimum. id quod etiam à Vito Vuisenstein
Abbati S. Viti in Nouiomarckt oppido Bavarie, uiro optimo, postea in itine-
re, Landshuti cum esset, fusius intellexi, ut qui Christopherum ob uirtutes fra-
tris loco habeat, & unicè diligit, Anon.